

rei viliori quàm digniori; præsertim cum speciales causæ sint, cur Christus humanam naturam assumerit, atque adeò humanitati tributa sit gratia unionis hypostaticæ, non autem naturæ Angelicæ, quò de agere solent Theologi. Ad (2.) Resp. quòd Angeli ministri sint DEI, non hominum, atq; sic ut ministri sunt inferiores DEO, cui ministrant. Quod verò ministerium id sit ad defensionem hominum, nihil obstat: Nam ministerium supremi militiæ Ducis vel Imperatoris etiam est ad defensionem rusticorum, ideò autem rusticus non nobilior supremo illo Duce. Pastoris ministerium est ad defensionem ovium, propterea autem oves non sunt nobiliores Pastore. *Paucis*: Angeli non sunt ministri hominum, sed DEI ad custodiendos homines. *Et huciq; de istis Controversiis*: jam agendum quoque erit de *habitibus animarum separatarum*.

§. 32. De habitibus animæ separatæ acturis plerumque sermo est de beatorum animabus separatis, unde hæc doctrina & ad cæteras animas servatâ debitâ proportionem referri potest. Distinguendi autem in præsentiarum sunt habitus: aliqui enim vitiosi sunt vel oriuntur saltim ex imperfectione statûs conjunctionis cum corpore, ut opinio, debilis conclusionum assensus, & similes, aliqui verò non. De habitibus vitiosis & ex imperfectione statûs conjunctionis cum corpore ortis dicendum, quod tanquàm repugnantes statui separationis inductione contrariorum corrumpantur. Cum enim ad perfectionem intellectûs certa veri notitia pertineat, utique in animâ separatâ, ubi perficiendus erit intellectus, non erit opinio certæ rei notitiæ opposita. Idem de Voluntate beatorum asserendum, in quâ inclinationes qualescunque ad vitia superesse in futurâ vitâ non poterunt. De aliis habitibus autem fatendum, quod manent & quoad entitatem & aliqui eorum etiam quoad usum, ut patet ex iis, quorum actus manent, qui sunt effectus habituum, v. gr. actus dilectionis & charitatis; horum enim habitus manere & quoad entitatem & quoad usum certissimum est, quia neque contrarium habent quicquam, quòd sit eorum corruptivum, neque etiam eorum oblivio aut cessatio datur. Sic habitus Fortitudinis, castitatis, temperantiæ & similes manebunt quidem, quoad